QUAEDAM GENERALIA DE DAMNIS EX NIMIA QUORUMDAM HUMORUM...

Giovanni Rampazzo

QUAEDAM

GENERALIA DE DAMNIS EX NIMIA

QUORUMDAM

HUMORUM NATURALIUM JACTURA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD MEDICINAE LAUREAM

IN ANTIQUISSIMO AC CELEBERRIMO

C. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

RITE ASSEQUENDAM

PROPONIT

JOANNES RAMPAZZO

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXLIV

Cum ego reputem animo, illustrissime et magnifice Rector, Director clarissime, eximie Decane, Professores amplissimi et praestantissimi, Auditores quotquot estis omnes doctissimi et ornatissimi, cum ego reputem animo virium mearum tenuitatem meique tarditatem ingenii, non possum quin accedam ad hanc praeclarissimorum virorum frequentiam mente prorsus consternata ac toto corpore contremiscens.

Nec aliter fieri potest, cum optime novarim quanta sit sapientia vestra, quantoque merito abundetis, quanta sit nostrae medicinae sublimitas ac difficultas ad ejus aliqua argumenta non indigne evolvenda, et quid a me hodie expostulent leges academicae dum coram vobis disputandum sit.

Tanta trepidatio tamque justa consternatio mihi prorsus suadarent, ut ab hoc gravissimo di-

cendi munere recederem: verum est officii mei nonnulla pro viribus afferre, ita ut aliquid audendum sit; vestraque humanitas atque indulgentia ad tam asperum certamen subeundum spem quodammodo adjicit animosque.

Illud tantum cupio atque exoro, ut meum hunc qualemcumque laborem libenter excipiatis, non quod ego aliquid merear laudis, sed ut voluntas pateat mea in hoc mentis conatu ad gratias saltem ex parte agendas vobis habendasque, qui per arduum scientiarum iter me paterno amore curisque assiduis evehere voluistis.

Nunquam vero humanitati vestrae respondere satis potero, gratiamque referre utilissimis consiliis summaeque vestrae patientiae, quae me semper rexit viribus deficientem, quaque hodierno die ad hunc amplissimum locum accessistis ad meas audiendas tolerandasque elucubrationes.

Quod si verbis factisque sensus animi mei exprimere plane nequeo erga viros tam benemeritos, vos saltem interpretes habeam desiderii mei, quorum clementiam abunde novi atque expertus sum, nec dubito quin vestra munera hoc extremo munere cumulare velitis.

Maximi momenti esset historiam plenam absolutamque pertexere illius metamorphoseos, ad quam veniunt corpora propter varias animalium humorum jacturas, quae naturalem limitem prae-

tergrediantur. Ex quibus, sive hoc accidat humanae mentis corruptione, sive aliis de causis, tanta solent esse hominum detrimenta, ut ad perniciem atque excidium corpora nostra ferantur, quae jam per se perque leges naturae lento gradu assidue consumuntur. Verum brevitatis amor id postulat, ut hanc tam amplam historiam omittamus, et sola damna breviter tractemus, quae ab immodica quorumdam praesertim humorum animalium jactura oriuntur.

Agam igitur de damnis, quae manant ab aliqua ex praecipuis jacturis humorum animalium, ita ut quicumque velit conformem legibus physiologicis vitam traducere tardamque senectutem attingere robusta ac perenni valetudine, possit tuto procedere sibique consulere, nisi obsit debilis ab origine constitutio membrorum.

Patet omnibus cuncta organa humani corporis esse variis obnoxia jacturis propter varios excreatus; satisque constat necessarium omnino esse, ut diversa fluida animalia subsidium praebeant atque hisce jacturis afferant reparationem, quae trahitur a substantiis trium naturae regnorum.

Haec reparatio conservat pariter eorumdem organorum inter se vigorem atque harmoniam, legitimamque iisdem largitur exercitationem ad propria uniuscujusque officia solvenda.

Alimenta ea sunt, quae, cum transeant per tu-

bum digerentem et in illo chymica-vitali ratione excoquantur, praeclare juvant ad illas jacturas reparandas, dummodo haec alimenta caute fuerint praeparata et rite digesta, dummodo in fluidum illud dissolvantur, quod apte conveniat ad hujusmodi reparationes rite planeque conficiendas.

Verum si id perfecta locum non habeat, aut malo modo fiat, videre est impeditam statim aut omnino sublatam banc, quam quaerimus, reparationem; imo organa ipsa abundabunt fluidis sibi nocentibus atque adversis, quae ad majores incitant animalium humorum depravationes, ideoque ad omnes illos morbos, qui inde promanant, quosque enumerare omitto brevitatis amore.

Quod si propter qualemcumque immodicum excretionm jacturamque animalium humorum evenire solet, ut vare perniciosae corporum conditiones habeantur, ita ut organa ipsa videamus ad extremam maciem interdum deduci; quid dicam de funestissimis consequentiis, quas pariet jactura humorum distincta nobilitate praestantium, si haec jactura non casu fiat, sed ex industria et arte, si remedium potius quam venenum judicetur?

Hippocrates antiquissimus medicorum, qui infirma humani corporis organa eorumque munia, leges, morbos vicissitudinesque meditatus est.

sapienter dixit nimiam spermatis amissionem procreare dorsi tabem, consumptionem membrorum, debilitatem virium, paralysim et funus.

Id pariter testati sunt Celsus, Aretaeus, Galenus, Plinius totque alii, animadvertentes magnam imprudentemque jacturam hujusce animalis fluidi aliorumque infringere stomachum, appetitum demere, debilitare cordis motum ob imminutam nutritionem et robur; hinc obscurari lumina ob imbecillitatem oculorum, hinc tinnitum aurium aut surditatem, hinc convulsiones nervorum, totius corporis languorem, paralysim ac denique vitae cessationem inter phaenomena visu tristissima et numero infinita.

Ipse Boerhaave cum eodem Hippocrate ceterisque, quos supra nominavi, opinatur in eamque sententiam prorsus adducitur. Etenim affirmat hanc nimiam jacturam in causa esse, cur totius corporis lassitudo, debilitas, immobilitas, macies, sensuum languor tabesque universa serius ocyus procreentur.

Itaque cum talia sint humanae valetudinis damna, quae ab immodica animalium humorum jactura ac praesertim, ut dixi, spermatis proveniunt; quidnam dicendum erit de jacturis illis, quae sine limite a quibusdam nostri temporis exquiruntur tanta contemptu humoris nobilissimi,

idest sanguinis, cujus utilitas cum ipso sparmate jure potest comparari?

Puto equidem me non errare, si dico sanguinem ejusdem prope momenti esse ac sperma; cum enim sanguinem confero cum ceteris humoribus, nonne hic est, qui primus et praecipuus fons vitae et valetudinis haberi potest, cum percurrat ad ultimos membrorum recessus perque omnes corporis vias, omnia irrorans, et ubique deponens pro variis organorum textis perpportuna ac necessaria principia, unde variae fiunt secretiones et ipsa spermatis, unde creantur ea, quae reparent moleculas ab organis et systematibus amissas, unde tandem venit incrementum fibrarum textorum organorumque omnium?

Quare jactura hujus humoris, quacumque ex causa procedat, et praesertim si assidua sit aut frequenter provocetur, illud necessario continget, ut ea omnia phaenomena eosque omnes morbos videamus, quos experti viri inspexere ex immodica secretione et jactura spermatis generatos.

Communis quoque experientia nos satis monet nobisque testatur maximam esse corporibus utilitatem ac pretium hujus humoris; cum enim nostra organa hunc plane integrum purumque possident ob felicem ejusdem elaborationem, tunc nos prompti sumus ac robusti membris, et vivido motu praediti floremus valetudine, tunc

textus atque organa bene composita non solum in optimo statu perseverant, sed etiam vigorem augent suum, ita ut mirabilior quodammodo in dies natura hominis appareat, mensque nostra in admirationem tam mirifici operis abripiatur.

Positis tam faustis conditionibus, optime fungitur officio suo systema cerebro-spinale, quod in mille ambages atque hypotheses hactenus medicos pertraxit; hinc sensuum organa alacriora sunt, hinc mentis facultates majori vi donantur, hinc potentior generandi copia, hinc tandem pulcra filiorum procreatio ad recreandam societatem, quorum robusta sunt corpora ac firma valetudo, quia in parentibus fons praecipuus reparationum sanguis cum ceteris humoribus fluit et fungitur officio suo, aequa proportione atque mensura.

Qua de causa dolendum maxime est e quibusdam nostrorum temporum eut nullo aut minimo pretio haberi hoc fluidum nobilissimum, hunc sanguinem tam necessarium, qui tanta facilitate et profusione exterminatur a venis veluti pars inutilis, nullius momenti, aut perniciosa.

Quae quidem novitas medendi non raro ad pessimum statum homines deducit; organa ad maciem, corpus universum ad debilitatem, ad varias dyscrasias, deficiente organorum vi, ad caecitatem, ad dementiam, ad convulsiones, ad hy-

dropes aliosque morbos permultos, denique ad exanimem morientis conditionem et ad lentum interitum, ea solum de causa, quia diversa organa diversis functionibus totoque aequilibrio spoliata sunt.

Quod si forte hi miseri homines sunt superstites post jacturas tantas tam benefici humoris, quaenam est reliqua eorum vita et infelicitas! Videmus illos agitare dies inter languorem, ac veluti ambulantia spectra trahere corpus inutiles sibi et aliis, nullo domestico operi idoneos, et vix aptos, qui dent filiis vitam debilioribus.

Hujusmodi parentes degenerem in dies progeniem efficiunt, formis, adspectu, vitae munere decrescentem, ita ut brevis et languida illorum vitae ratio multiplicibus semper incommodis morbisque crescentibus afficiatur.

Tissot tempore suo disserebat de damnis ex jacturis effusi spermatis, demonstrabatque quanti momenti esset hic liquor ad animalis oeconomiae utilitatem ac bonum. Hoc tantum meditabatur clarissimus vir hominumque amantissimus, ne tanta fieret tam necessarii liquoris amissio. Noluit ille pertractare ceteras jacturas humoris aeque utilis et necessarii, quas quaerunt homines ex industria, aut quorum excidia negant cognoscere et confiteri.

Nemo esse potest, qui non perspiciat in salu-

taris artis exercitatione organa humani corporis ex quibusdam jacturis ad ruinam ferri.

Si viveret ipse Tissot, si perpendere parumper vellet solemnem abusum, quo nostris diebus provocatur tam facile et audecter emissio sanguinis, qui prima et potissima est omnium secretionum origo et fons; quanta admiratione afficeretur profecto, cum videret homines ad publicam privatamque incolumitatem tuendam destinatos nullam rationem habere hujusce sanguinis, eumque perperam effundere cum gravissimo valetudinis vitaeque ipsius detrimento!

Si vero tanta est nostro corpori necessitas sanguinis ad pretiosiora vitae systemata sustentanda; et si haec systemata, fulciente sanguine, non modo recta se ipsa conservent, sed etiam plenam vim potentiamque exhibent organis in quoenmque humano corpore, ita ut ipsae formae mirifice praesint pulcherrimaeque procreationi: quid dicendum de immodica sanguinis profusione deque miserrimis consequentiis, quae in parentes filiosque gignendos redundabunt?

Quomodo unquam poterit futura soboles crescere et deduci ad formas pulcras atque robustas, quomodo perfecte organorum structura donari, si valetudo parentum ad miserum statum deducta sit ex comparata inopia illius liquoris, qui deponere debuisset in omni organorum parte

quod necessarium est ad vires roburque reparandum? Ita evenit, ut usque majus desit illud incrementum, quod sanguis per venas discurrens attulisset naturae tam benefica munera expectanti.

Credo equidem neminem fore, qui cum audiat me ita quari de sanguine nimis frequenter effuso, ideo velit ab emissione sanguinis semper et omnino abstinere, quod profecto dedecet prudentem salutaris artis ministrum.

Sanguis ab arteriis aut venis extrahi oportet, si urgeat necessitas ita faciendi; hoc vero faciendum est iis tantum casibus, in quibus cautus medicus sciat reapse veram hanc necessitatem exsistere, quam nonnulli, nescio qua doctrina compulsi aut dulcedine capti, nimis frequenter recognoscunt, aut minus convenienter metiuntur. Quare ex illorum imprudentia homines rediguntur ad perpetuam necessitatem sanguinis extrahendi non absolutam, sed relativam, ut a majoribus periculis ac damnis erepti ad aliquam miserrimae vitae usuram revocentur. Tristissima quidem lex ac necessitas fit tempora haec effundendi sanguinis consuetudo.

Talis perturbatio vel unius functionis reliquas etiam functiones solita harmonia spoliat atque defraudat; quare exurgunt alii morbi frequentes, eo quod deficiat resgendi vis contra agentes ex-

ternos internosque, ex quo fit ut organa paullatim ad plenam dissolutionem trahantur. Ut vero clara demonstratur quod superius exposui de praeceptis illorum hominum doctissimorum, jacturas nimirum immodicas quorumdam liquorum animalium secum afferre phaenomena illa omnia quae antea anumeravi, satis est in mentem revocare quidquid quotidie cognoscimus in iis, qui chronicis et copiosis laborant gonorrhoeis, aut veteri pituitae profluvio, aut obstinatis leucorrhoeis, aut diabetibus diarrhoeisque perversis, aliisque hujusce generis incommodis, ne demptis quidem iis, qui aperta habent emunctoria ab arte quaesita et ad longum tempus provecta.

Hae lentae ac perennes amissiones fiunt cum damno sanguinis, et per ipsas alia organa et textus necessariis spoliantur principiis, quae ea redderent prorsus vivida et efficaciora. Ita homines his amissionibus obnoxii tale spectaculum pathologicae praebent infirmitatis, ut medica ars, licet sagacissima, tot perturbationibus mederi non possit. Quare illud usuvenit, ut illi infelices, qui aut mala voluntate ad haec incommoda devenerunt, aut nullam ea corrigendi curam primo tempore adhibuerunt, saepissime trahantur ad tumulum, atque expertissimi salutaris artis cultores nullo modo valeant rebelles morbos eorumque obstinationem perfringere.

432.

Quanti faciendi sint animales humores quantaque sint damna ex eorum nimiis jacturis venientia, testis sit formidolosissimus morbus cholera, qui corpora quodammodo liquefaciens ad extremam debilitatem ea deducebat, ita ut vel pauci mortem effugerent, vel omnibus artis viribus conatibusque utendum esset ad languorem naturae reparandum. Quod si miserrimi aegroti opprimebantur interitu, tunc veluti exsiccata cadavera vix speciem humani corporis praeseferebant tali crudelissimorum phaenomenorum apparatu, ut animus horreat ea referre atque describere, quae plane cognita sunt non solum medicis, sed etiam multitudini civium, qui terribiles tanti morbi effectus propriis oculis inspexerunt.

Inficiari igitur nullo modo licet jacturam non solum cujuslibet humoris nobilioris, nempe spermatis aut sanguinis, ut Tissot et reliqui demonstrarunt, humanae oeconomiae esse funestam diuturnis saevisque consequentiis, quae ipsam vitam saepe miserrime obtruncant; sed jacturas ipsas cujuscumque fluidi minus nobilis, sive pendeant a naturali organi excretu, sive hic excreatus pendeat a chymica animali partium dissolutione, quae minime postea compensatur nova depositione alimentaris principii, posse verti et verti saepe in damnum humanae oeconomiae, cujus

organa eo deveniunt tandem, ut aut tabida fiant, aut propriis functionibus viduentur.

Quod si illud accidat, ut vel unum ex organis ob immodicam animalis liquoris separationem aut amiserit aut valde imminuerit suae functionis facultatem; profecto illud quoque eveniet, ut cum illud organum obstet etiam functionibus aliorum, haec quoque ad necessitatem trahantur sequendi sortem prioris, eoque magis si materies quarumdam organicarum dissolutionum a lymphatico systemate sorbeatur, in universam circuitionem transferatur deponaturque in alia viscera, unde novi morbi creantur augenturque perpetuo.

Hactenus sermonem habuimus de damnis venientibus a nimia jactura humorum animalium, exhibentes, ut potuimus, miserandam eorum malorum tabulam, quae inde deducuntur.

Nolumus tamen excludere aliam veritatem minime negandam et antiquorum studiis doctrinisque confirmatam, teste ipso Hippocrate, nimium videlicet cumulum eorumdem humorum hac aut illa parte insidentium in causa esse posse, cur multarum tristiumque aegritudinum caterva in scenam prodeat.

Si nimia jactura spermatis est sine dubio animali oeconomiae periculosa, perniciosum quoque appellabo cumulum nimium istius humoris,

nisi conveniente circuitione absorbeatur. Hinc saepe medici ex hac causa multam morborum seriem argumentati sunt.

Idem dicendum est de tot aliis separationibus a natura quaesitis aut ab arte provocatis, si ipsae imminuantur ex solito aut prorsus tollantur post veterem earumdem consuetudinem, quod videre est in plagis veteribus, in salubribus emunctoriis, in facilibus jacturis sudorum, in quibusdam cutis eruptionibus, in menstruis, in secretione lactis, in crebris per nasum effusionibus sanguinis ejusque per os vomitu, in consuetudine venientibus diarrhoeis, atque aliis incommodis.

Idem et majore jure dicemus de sanguine, qui, ubi mensuram exsuperet et quibusdam principiis superabunde oneretur, in damnum vertitur gravissimum humanae valetudinis omniumque organorum, et immensam multitudinem phlogisticorum morborum adducit.

Haec pauca prudens medicus animadvertens in illud incumbet, ut statim organa ad justum suarum functionum aequilibrium revocet, curans praecipue, ut quantum fieri potest, integritas humorum habeatur et justissima secretionum norma, ita ut facillime ac prompte singula organa fungantur officio suo, ex quo status ille, qui dicitur physiologicus, praeclare obtinetur.

Verum si ille intendat animum ad phlogosis

extinguendum periculum, et arte ita temere abutatur, ut praetergrediatur limites moderationis; tunc vidabimus homines ad illam morborum gravitatem deductos, quos paullo ante cum dolore maximo enumeravi.

Concludamus: quidquid nunc a nobis expositum fuit, sat arbitror duas declarassa maximas veritates, assiduas scilicet et nimias animalium humorum jacturas semper esse damnosas tum iis, qui casu aliquo iisdem obnoxii sunt aut causis ex voluntate positis, tum iis qui novam vitam trahunt a parentibus tanta ex jacturis debilitate confectis, quae profecto vita oneri ac dolori maximo est, et saepius tacite auctores suos exprobrat atque accusat.

THESES DEFENDENDAE

I.

In morbis chronicis fluidorum animalium conspicua jactura fere semper periculosa.

II.

Methodus curationis in genere quo magis simplex, eo magis proficua.

III.

In affectionibus haemorrhoidalibus hirudinum adplicatio vasis aedalibus frequenter repetita interdum noxia evadit.

IV.

Vesicatorium in declinatione pneumonitidis, praesertim nothae, optimum remedium, spectato revulsionis effectu.

V.

Conditio rheumatica maximi momenti existimanda est in generatione morborum.

VI.

Emunctoria jam inveterata non absque periculo removeri possunt.

VII.

Nonnullis in morbis phlebotomiae abusus in causa est, cur effusio serosa facilius locum habeat.

VIII.

Balnea frigida universalia non semper periculo carent.

IX.

In quibusdam potatorum morbis, etiamsi phlogisticis, cura late deprimens magna cum prudentia instituenda.